

sum caveat. de quo text. plura bona dico suo loco: & istam rationem ponit expressè Bart. in *dict. leg. 1. §. fin.* Bald. & latius Jas. 1. & 2. col. & sequitur communem opinionem, ponit etiam Bart. post Din. *ibi in leg. de Pupillo, §. 6. ff. de Novi oper. nunc.* Sed attende, quòd licet ita dispositum sit de jure communi; tamen contrarium disponitur hodiè de jure regio; imò quòd usufructuarius possit nuntiare novum opus ædificanti in fundo in quo habet usumfructum, licet non possit nuntiare domino proprietatis, sicut nec poterat de jure communi: ita disponit *lex 4. titul. fin. part. 3.* Nec illa lex potest intelligi ut usufructuarius possit nuntiare extraneo procuratorio nomine, sicut de jure communi: Quia simpliciter dicit, *possit nuntiare.*

26 Item adde, quòd in tantum ille qui præten- dit interesse potest nuntiare, ut procedat etiam si sit minor. Quòd tamen intelligo & declaro isto modo; nam si est minor 14. annorum, & non possidet, potest nuntiare etiam sine auctoritate tutoris, ex eo quòd facit conditionem suam meliorem: argumento text. in *leg. 1. ff. de Auctor. tuto. in princ. Insit. eodem titul.* Si verò possidet; tunc similiter potest nuntiare per judicem: vel jactum lapilli, etiam sine tutore; cum sit sibi utile: si verò vult nuntiare simplici verbo; tunc cum auctoritate tutoris potest; sine ea verò non, quia fieret sibi præjudicium, cum ex hoc amitteret possessionem: istam distinctionem in hoc articulo probat text. in *leg. de Pupillo. ff. de Oper. nov. nunc.* & ibi tenet Alber. Bald. & communiter DD. Ex quibus infero, quòd hodiè mulier conjugata posset nuntiationem novi operis facere sine licentia viri omnibus modis, præterquam solo verbo, ex prædicta ratione.

27 Septimò potest nuntiare quilibet amicus vel extraneus nomine domini & sine mandato, dum tamen præstet cautionem *dominum ratum habiturum*: text. est in *leg. de Pupillo. §. Qui procuratorio, eodem titul. & in leg. 1. post princip. titul. fin. part. 3.* Ille verò qui non habet jus in re, non potest nuntiare: unde colonus vel inquilinus non potest nuntiare: text. est in *leg. 3. §. Si ego. ff. de Oper. novi nunc.* & ibi Gloss. & communiter DD. tamen hoc casu debet notificare dominum, si videat aliquid fieri in præjudicium rei conductæ; aliàs tenetur ad interesse: text. est notabilis in *leg. Videamus. §. Item prospicere. ff. Locat.* cujus verba sunt: *Item prospicere debet conductor, ne in aliquo vel jus rei vel corpus deterius faciat vel fieri patiatur*, text. est in *leg. Item queritur. §. Exercitu, eodem titul.* Adde tamen quòd si dominus, qui locavit, obligavit bona sua pro firmitate contractus, conductor vel in-

quilinus possunt nuntiare: ita Paul. & Alexand. & Jas. in *d. leg. 3. §. Si ego novi oper. nunc.* Adde quòd si dominus est absens, similiter colonus vel inquilinus potest nuntiare: ita Paul. quem vide, in *leg. Filius familias, de damn. infect.* & ibi notabiliter Roman. Cuman. in *dict. leg. 3. §. Si ego*, argumento text. in *leg. 1. Cod. Si per vim vel alio modo*, ubi inquilinus, imò, servus vel amicus potest petere restitutionem possessionis absentis. Item potest nuntiare colonus vel inquilinus, si conduxit ad longum tempus, argumento text. in *leg. 1. §. fin. ff. Si ager, vecti.* ita Alexand. in *dict. leg. 3. §. fin.*

Adde tamen, quòd ultra prædicta etiam oportet, quòd nuntiator ultra causam denuntiationis quam exprimat, tenetur etiam dicere & asserere se possidere rem pro qua denuntiat: ita Bart. in *leg. 1. ff. eodem titul. de Nov. oper. nunc. 3. col. quest. 7.* cum quo transeunt alii DD. Sed certè ejus sententia & conclusio est falsa; quia jura quæ concedunt facultatem denuntiandi, non requirunt nec fundant se in possessione existente penes denuntiantem, sed tantum in jure reali domini, vel alterius juris supra declarati. Item confirmatur: quia imò in casibus in quibus quis denuntiat verbo, statim amittit possessionem: & tamen denuntiatio remanet valida & firma; ergo non requiritur possessio, nec quòd asserat se possessorem: text. est in *leg. 1. §. In operis. ff. eodem titul. de Nov. oper. nunc.* text. in *leg. de Pupillo. §. Meminis. eodem tit.* & ita tenet Imol. in *leg. 1. ejusdem titul. 2. column. in fin.* & ibi Jas. 7. column. num. 12. idem Imol. in *dict. §. Meminis*, & ista est vera sententia & conclusio. Ex quibus inferitur, quòd ille qui tantum habet actionem personalem ad rem, ut emptor, donatarius, vel similis persona, non possit nuntiare.

Quoad tertium articulum scilicet, quibus personis fiat nuntiatio? Dico, quòd potest fieri domino ipsius rei in qua fit ædificium; vel ipsis fabris, vel Officialibus, qui in illa re operantur, vel Ministris & familiaribus ejus; & generaliter omnibus, qui in illa re fuerint, cujuscumque conditionis sint, modò sint liberi, modò servi, modò minores, modò majores, nomine domini, vel causa ipsius operis, ita ut possit venire in notitiam domini: text. est in *leg. de Pupillo. §. Nuntiationem, versic. Nuntiare. ff. de Novi operis nuntiation. text. in leg. 1. in fin. titul. fin. 3. part.* & potest fieri sine judicè, & nomine proprio vel alieno cum mandato; & diebus feriatis, vel non; & contra invito, vel ignorantes: text. est in *leg. 1. §. Nuntiatio. ff. de Oper. nov. nunc.* Unde commodum est denuntiare Officialibus: Primò, quia destruitur opus

fac-

factum post nuntiationem: Secundò, quia regulariter officiales, facta nuntiatione, statim abstinent se ab ædificio: ita Rosfred. in *dict. Rubric. de Novi oper. nunc. num. 10.*

29 Adde tamen, quòd in isto casu dubium est, an indistinctè post denuntiationem factam Officialibus debeat opus destrui, modò talis nuntiatio venerit in notitiam domini, modò non? In quo articulo reperio tres principales opiniones: Prima opinio est, quòd indistinctè talis denuntiatio facta fabris noceat domino etiam ignoranti quoad destructionem, & quoad impensam; quia culpa eorum imputanda est domino qui eos posuit: istam opinionem tenet Orthoglossator antiquus in *dict. leg. de Pupillo. §. Nuntiationem*, quem refert ibi glossa. Secunda opinio est, quòd indistinctè talis denuntiatio facta fabris vel Officialibus, non noceat domino quoad destructionem nec impensam, nisi à die quo venerit nuntiatio in notitiam ejus: & istam opinionem videtur tenere glos. in *dict. §. Nuntiationem*, in verb. *Nuntiationem*, in fin. Rosfred. in *dict. Rub. de Interd. de novi oper. nunc. 6. column. num. 9.* Specul. in *Rubr. de Novi oper. nunc. in versic. fin.* & ibi Joan. Andr. Tertia opinio verior & magis communis est, quòd dominus ignorans teneatur ad patientiam, ut destruat opus factum post nuntiationem factam Officialibus, cum talis nuntiatio afficiat rem: non tamen teneatur ad impensam; sed ipsi fabri vel Officiales teneantur solvere expensas destructionis, cum fuerint in culpa in ædificando: argumento text. in *leg. Competit. §. fin. ff. Quod vi aut clam*, in *leg. penult. & fin. ff. de Oper. nov. nunc.* & in expressò ita tenet Rain. in *dict. leg. de Pupillo. §. Nuntiationem*, & Jac. de Ra. & Jacob. de Aretin. quos ipse refert tenet etiam Bart. *ibi, 2. column. n. 4.* dicens omnes ita tenere: Bald. Angel. & Paul. *ibi*: tenet etiam Alberic. in *dict. leg. Si pupillo. §. Si quis fortè.*

Adde tamen, quòd damnum quod ex hoc domino contigerit, poterit ab eis recuperare: ita Paul. in *dict. §. Nuntiationem*. Imò, si nullus Officialis vel operarius sit in ædificio, potest fieri nuntiatio in eadem re & loco ubi fit ædificium: argumento text. in *leg. 4. §. Toties. ff. de Damn. infect.* ubi dicitur, quòd si domus vicini minatur ruinam, & non reperitur dominus ejus, potest fieri petitio cautionis in ipsa domo: facit text. in *leg. Operis*, & in *leg. fin. ff. de Operis novi nuntiation.* ubi ista nuntiatio novi operis dicitur in rem, & non in personam: facit etiam bonus text. in *leg. Aut qui aliter, versic. Et si fortè*, *ibi*: *Ad domum denunciando est. ff. Quod vi aut clam*, text. in *leg. 2. §. Sin autem abfuerit*, *Cod. de Annat. except. text. in leg. 1. §. Per-*

mittitur, *ibi*: *Aut ad domum denunciare. ff. de Liber. agnosc.* Quòd tamen debet intelligi isto modo: quòd valeat nuntiatio, ut postquam pervenit in notitiam domini, non possit ædificare; non tamen destruetur opus medio tempore factum antequam sciret: ista Gloss. ordinaria in *dict. leg. de Pupillo. §. Nuntiationem in princip.* & ibi Bartol. num. 3. & communiter DD. præcipue Jas. 2. column. in *fin. cum sequent.* tenet etiam Imol. ubi dicit hanc esse communioem opinionem, in *leg. Operis, §. 1. eodem tit.* Specul. in *titul. de Novi oper. nunc. in fin. versic. Quod si quando*, num. 7. Rosfred. in *Rubr. de Interd. ff. de Novi oper. nunc. 5. column. num. 8.* Sed isto casu dominus tenetur ad patientiam ut destruat opus factum eo ignorante, & hoc operabitur illa denuntiatio in re; sed ipse dominus non tenebitur ad impensam: & ita tenent & declarant DD. *ubi supra*, & satis confirmatur ex supra proxime dictis circa nuntiationem factam Officialibus. Item, ista nuntiatio debet fieri in ipso opere: unde si alibi fiat, etiam ipsi domino, esset nullius momenti: text. est in *dict. leg. de Pupillo. §. Nuntiationem in primo*, cujus verba sunt: *Nuntiationem autem in re præsentem facendam meminisse oportebit*, & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. & idem disponit *leg. 1. prope fin. titul. fin. 3. part.* Adde tamen, quòd hoc casu haberet locum interdictum, *quod vi aut clam*, quia post talem nuntiationem etiam non factam in ipsa re vel opere: unde si postea ædificaret dominus, teneretur demoliri per interdictum *quod vi aut clam*, non requirit quòd prohibitio fiat in re præsentem, non tamen tenetur demoliri suis expensis, nisi die quòd petit prohibere fabris: ita probat text. in *leg. 1. §. Sed & si quis. ff. Quod vi aut clam*, per quem ita tenet Gloss. ordinaria & communiter DD. in *leg. 1. §. 1. ff. de Nova oper. nunc.* & in specie Paul. in *leg. de Pupillo. §. Nuntiationem in fin. eod. titul.* & Bart. in *§. Si quis fortè ejusdem leg. in fin.*

30 Quòd ad quartum articulum scilicet, pro quibus rebus fiat nuntiatio? Dico, quòd pro rebus privatis; & tunc ille cujus interest potest nuntiare, ut supra dictum est. Item etiam pro rebus publicis habet locum nuntiatio, & pro eis quilibet de populo potest nuntiare, nisi sit inhabilis, ut pupillus, mulier, vel infamis: text. est in *leg. Provinc. §. fin. cum leg. sequenti. ff. de Nov. operis nuntiat.* cujus verba sunt: *Si in publico aliquid fiat omnes cives opus novum nuntiare possunt*: nam reipublicæ interest, quàm plurimos ad defendendam suam causam admittere: text. in *leg. de Pupillo in primo, eodem tit. text. in leg. 1. §. Nuntiatio, el 2. eodem tit. text. in*

in leg. Pupillaris, & in leg. Mulieri. ff. de Popul. action. text. in leg. 2. §. Hoc interdictum perpetuum, & per totum. ff. Ne quid in loco publico, & idem disponit lex 3. titul. fin. 3. part. quod tamen debet intelligi isto modo, nam ille qui est civis illius Civitatis vel Oppidi potest nuntiare novum opus nulla facta distinctione in quo loco fiat ædificium: si verò non est civilis, potest nuntiare opus novum si ædificium fiat in via publica, non verò si fiat in alio loco publico: argumento text. in leg. 1. ff. de Via publica, & in leg. Per agrum. cap. de Servit. & aqua, & ita tenet Bart. in leg. In provinciali, §. fin. n. 3. ff. Novi oper. nunciat. & ita debet intelligi Gloss. quam ibi reputat singul. Angel. in leg. 2. §. penult. ff. Ne quid in loco publico, quæ vult quod nedum civilis sed etiam forensis potest nuntiare pro rebus publicis: nam debet intelligi cum hac distinctione Bartol. & ita videtur intelligere, Imol. in leg. 1. de Publ. jur. 2. col. Item intelligi, quod quilibet civis nuntiat quando ædificium fieret in loco publico, qui pertinet ad usum publicum, secus si fiat in fundo ipsius fisci vel Civitatis: quia tunc tantum nuntiat qui habet mandatum ab ipsa civitate: ita probat text. in leg. Nulli. ff. Quod cujusque universitatis, text. in leg. 2. §. Hoc interdictum, et 2. ff. Ne quid in loco publico, & tenet Bart. in dict. leg. Provinciali, §. fin. n. 5. Imol. & alii DD. ibi.

31 Quoad quintum articulum scilicet, qualiter, & quo modo & forma debet fieri ista denuntiatio? Dico, quod tripliciter: uno modo, solo verbo, ut quando simpliciter ille cuius interest, novum opus nuntiat: text. est in leg. de Pupillo. §. Meminisse. ff. de Novi oper. nunc. Secundo modo, per factum lapilli, scilicet, projiciendo aliquos lapides, unum vel plures, in ædificio; dicendo, qualiter per illud factum nuntiat novum opus: text. est in dict. leg. Pupillo. §. Meminisse. Tertio modo, *authoritate judicis*; quia ad petitionem nuntiantis iudex ipse, vel nuntius, vel tabellio de mandato ejus, quod redigitur in scriptis, nuntiat novum opus, & jubet ne fiat: text. est in dict. leg. Pupillo. §. Meminisse. Et istos tres modos & formas ponit & declarat melius quam alibi Rosfred. in Libellis suis, in Rubr. de Interd. de nov. oper. nunc. 2. column. num. 2. Bart. in dict. §. Meminisse, & eos ponit & declarat leg. 1. titul. fin. 3. part. Et adde, quod quolibet die, etiam feriato in honorem Dei, potest fieri talis nuntiatio: ita tenet Hostiens. in Summa, extra eod. in §. Cui fiat. 2. column. post princ. tenet etiam Alexand. in leg. de Pupillo. §. Nuntiationem, 1. column. num. 3. ff. de Oper. novi nunc. Jas. in leg. Cum filius fam. §. fin. ff. de Verbor. obligat.

In his tamen modis denuntiandi ista reperitur differentia, quod si fiat solo verbo, & denuntiator sit possessor, statim amittit possessionem, & transfertur in ædificantem: text. est in leg. 1. §. In operis. ff. de Novi oper. nunc. cujus verba sunt: In operis, autem novi nuntiatione possessorem adversarium facimus, & ibi tenet Gloss. ordinaria, Bart. & communis opinio DD. text. in leg. Si alius. §. At Julianus, vers. Licere. ff. Quod vi aut clam, ibi: Cum possessor hoc ipso constituatur, text. est in l. Et si forte. §. Sciendum. ff. Si ser. vend. secus tamen est in aliis modis denuntiandi, scilicet, per factum lapilli, vel per iudicem: text. in leg. de Pupillo. §. Meminisse. ff. de Novi oper. nunc. ibi: Melius esse cum per prætorem, vel per manum, id est, per lapilli factum prohibere, quam per operis novi nuntiationem, caterum operis novi nuntiatione possessorem cum facimus cui nuntiaverimus. Et si quæras, quæ sit ratio tantæ diversitatis? Certè nulla congrua nec sufficiens reddi potest, nisi illa colorata, quam ponit Gloss. ordinaria in dict. leg. 1. §. In operis. ff. de Novi oper. & nunc. scilicet; quia possessio solo animo perditur, & per istam denuntiationem solo verbo meticulousus & timidus videtur, cum non impediatur aliter suam possessionem; unde illam videtur deserere, & animo desinere possidere: quam rationem sequitur ibi Bart. & communiter DD. tenet etiam Rosfred. in dict. Rubr. de Interd. de Nov. oper. nunc. 3. column. num. 3. latè Hostiens. in Summa illius titul. in §. fin. versic. Ratio. Card. in Rubr. extra eod. de Novi oper. nunc. in fin. Item adde, quod si fortè plura ædificia fiant in pluribus & diversis locis presentibus, sufficere tantum una nuntiatio pro omnibus, dum tamen exaudiri potest: secus verò esset, si fierent in locis distantibus, taliter quod nuntiatio non possit exaudiri; quia non sufficeret: ita probat text. notabilis in leg. de Pupillo, §. fin. ff. de Novi oper. nunc. & ibi expressè tenet Jacob. de Aret. Paul. Cuman. & Jas. facit etiam text. in leg. Accipientis. ff. de Author. tutor, & ibi communis opinio, text. in leg. Etiam. §. Si plures. ff. de Manut. vind. text. in leg. Scire debemus cum materia. ff. de Verb. oblig. text. in leg. fin. §. fin. ff. de Novationibus.

33 Quoad sextum principalem articulum, scilicet, quis sit effectus hujus denuntiationis? In quo articulo consistit tota utilitas presentis materiæ: Resolutivè dico, quod effectus maximus & principalis est, quod si post denuntiationem illæ ædificaverit, cogitur suis sumptibus opus destruere: text. est in leg. Non solum. §. Sciendum. ff. de Novi oper. nunc. text. in leg. Prator ait in princ. eod. titul. cujus verba sunt: Prator ait, in quem

quem locum nuntiatum est, ne quid novi operis fieret: qua de re agitur: quod in eo loco antequam nuntiatio remissa fuerit, aut in ea causa esset ut remitti deberet, factum est, ut id restituas, & ibi Gloss. Bart. & communiter DD. text. in leg. penult. & fin. eodem titul. & idem disponit l. 8. titul. fin. part. 3. Et in tantum hoc est verum, ut procedat modò licitè & cum iusta causa quis denuntiavit, modò injustè & sine causa: text. est in leg. 1. ff. Novi oper. nunc. cujus verba sunt: Hoc edito permittitur ut sive jure sive injuria opus fieret, per nuntiationem inhiberetur, text. in cap. 1. extra de novi oper. nunc. Quod tamen est intelligendum inspecto fine, ut postea appareat quod non fuit legitima causa denuntiandi; sed à principio tempore denuntiationis bene requiritur, quod denuntiator præstet interesse, & fundet suam intentionem in aliqua iusta causa in genere, vel in specie: ita tenet & declarat Gloss. ordinaria in leg. 1. §. Nunc videamus. ff. de Novi oper. nunc. Gloss. in §. penult. ejusdem legis, tenet etiam & declarat Jas. in leg. 1. column. 1. eod. tit. In quo attende, quod si jam ædificium erat inceptum, oportet nuntiantem probare usque ad quam partem; ut quod postea appareat factum esse destruat: & idè poterit sumere modulos mediante cordula vel baculo iudicis auctoritate, ut cognosci possit altitudo vel modus edificii: aliàs, si denuntiator hoc non probet, non debet fieri demolitio in aliquo; quia probatio non concludit: text. est in leg. Non solum. §. Qui opus, eodem titul. text. in §. Sed ut probari, ejusdem legis. cujus verba sunt: Sed ut probari possit quod postea ædificatum sit, modulos sumere debet is qui nuntiat: qui ut summantur conferanturque prator decernere solet, & ad hoc illum textum reputat ibi notabilem Bald. Bart. & communiter DD. qui plura bona ex eo deducunt & inferunt: & confirmatur per textum cum ratione in leg. Absentem. ff. de Panis.

Unum tamen est: quod si ille qui ædificat, præstiterit idoneam satisfactionem pro se & hæredibus suis de demolendo opere suis sumptibus, si appareat eum non habuisse jus ædificandi, & de solvendo damnum, vel interesse, quod denuntiator incurrit; debet audiri & poterit ædificare, non obstante prædicta denuntiatione: text. est in leg. Prator ait. §. Si quis paratus. ff. de Novi oper. nunc. cujus verba sunt: Si quis paratus fuerit satisfacere, deinde actor stipulari noluerit, in ea causa est ut remitti debeat nuntiatio, &c. & ibi Gloss. Bart. & communiter DD. text. in §. Deinde ejusdem legis. text. est in leg. Stipulatio in princip. eodem tit. ubi Gloss. ponit formam satisfactionis: & ibi communiter DD. text. in leg. de Pupillo. §. Si is qui eodem titul.

Anton. Gomez, Ad Legem Tauri.

text. in leg. Non solum. §. Si cum possem, & in §. Sciendum, eod. titul. cujus verba sunt: Sciendum est facta operis novi nuntiatione, eum cui nuntiatum est abstinere oportere, donec caveat vel donec remissio nuntiationis fiat: & ibi Gloss. ordinaria Bart. Alberic. Paul. de Castr. & communiter DD.

34 Hodie tamen de jure novo Cod. denuntiator non cogitur recipere talem satisfactionem intra tres menses, imò debet opus seu ædificium supersederi; & eis elapsis, poterit ædificare cum prædicta satisfactione, licet prima facie omnibus hoc rigorosum videatur, text. est in leg. unic. Cod. de Novi operis nuntiatione. & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. text. in cap. fin. extra eod. titul. & ista decisio est confirmata per legem novam titul. fin. part. 3. licet in aliquibus libris antiquis littera ejus reperitur corrupta, quia prope finem deficit *no*. Quod tamen notabiliter intellige isto modo: nam si ille qui ædificat, vult præstare satisfactionem, & denuntiator recipit eam; potest statim ædificare, cum per hoc sit facta remissio denuntiationis: & isto casu jura antiqua remanent incorrecta. Si verò qui ædificat vult satisfacere, & nuntiator non vult recipere satisfactionem, tamen non offert se prædictus nuntiator aliquid probare, per quod opus seu ædificium justè impedire possit; tunc statim poterit ædificare non elapsis tribus mensibus: & ita etiam procedant jura antiqua, & in isto casu similiter non sint correcta; quia tunc non videtur juris sui tuendi causa denuntiasse; sed potius causa vexandi malitiosè adversarium suum ædificantem: Si vero ædificans offert satisfactionem, sed nuntiator non vult recipere, quia offert se probare causam & jus quod habet ad impediendum opus seu ædificium; tunc ædificans non potest ædificare, sed supersedetur in opere per tres menses, ut in eis possit nuntiator jus suum probare; & si non probaverit, postea poterit ædificans ædificare cum prædicta satisfactione, & lis vel causa poterit postea definitivè decidi, quia instantia non est finita per lapsum illorum trium mensium: & isto casu propriè loquitur & procedit text. in dict. leg. unic. Cod. de Novi oper. nunc. & in dict. cap. fin. & dict. l. part. & in expressò ita tenet & declarat Azor. in Summa, C. de Edific. privat. & ibi Joan. Faber. in suo Breviario, Bartol. in leg. Prator ait. §. Si quis paratus. ff. de Novi oper. nunc. 1. column. & ibi Alber. Ang. Imol. Paul. de Castr. & communiter DD. Salycet. in dict. leg. unic. Cod. de Novi oper. nunc. 2. column. & 2. oppos. Hostiens. in Summa, extra eodem titul. §. Qualiter, versic. Quid ergo. Idem Hostiens. in cap. 2. & final. eodem titul. & ibi communis opinio: & idem dis-

disponit prædicta *lex partit. 9. titul. fin. 3. part.* Verum tamen est quod Jas. *in leg. 1. ff. de Oper. novi nunc. antepenult. column. num. 19.* dicit, quod imò potest teneri, ut licet nuntiator non se offerat probare causam vel jus suum infra dictos tres menses, debeat expectari, & in opere supersederi per illos tres menses: & sic tenet quod indistinctè procedat illa lex unica, *C. eod.* & quod aliàs publicè sustinuit hanc conclusionem contra communem. Et licet ista nova decisio videatur rigorosa, ut debeat supersederi in opere, etiam præstita satisfactione; tamen ratio ejus potest esse: quia visa fuit legislatori talis provisio utilis ipsi ædificanti; quia fortè credens se posse ædificare, vel cupiditate, vel necessitate ædificii, vel aliàs ædificaret, & postea probato jure nuntiantis cogeretur suis sumptibus demoliri, & incurreret maximum damnum: similiter est utilis prædicta decisio ipsi denuntianti, ne sibi fiat damnum & præjudicium, si justam causam præterdit, & illam se offert incontinenti probare, & sic infra tres menses; quod præjudicium sentiret si adversarius posset ædificare: istam rationem in hac nova decisione posuit expressè Joan. Andr. *in dict. cap. fin. in princip. extra eod. tit. Card. ibi in fin. Ant. & Abb. Panorm.*

Et adde, quod incipiunt isti tres menses currere à tempore quo offertur satisfactio per ædificantem: ita solus Faber. *in suo Breviario, in dict. leg. unic. Cod. eodem per text. ibi:* Unde si ædificans supersedit etiam per multum tempus post nunciationem sibi factam, non potest ædificare etiam post tres menses præstita satisfactione, nisi labantur tres menses computati à die vel tempore oblatae satisfactionis. Item adde, quod si nuntiator infra illos tres menses de jure suo probavit, & judex tulit sententiam contra ædificantem, ut non ædificet; tantum superest remedium ut condemnatus appellet, non tamen poterit ædificare præstita satisfactione coram iudice à quo, vel ad quem: ita solus Salyc. *in dict. leg. unic. Cod. de Novi operis nuntiat.* argumento text. *in cap. Significantibus extra eodem & probat dicta leg. 9. titul. fin. 3. part. ibi:* E si por aventura.

35 Adde tamen, quod si post lapsum dictorum trium mensium appareat nuntiantem non habuisse justam causam nuntiandi: Si ædificans incurrit damnum propter dilationem, quia fortè præparamenta sunt corrupta, vel aliud fortè damnum passus sit, an denuntiator teneaturolvere? Et dico, quod si illud damnum dominus fuit passus sua culpa, quia post denunciationem ipse ædificavit, & opus destructum est; tale damnum non poterit repetere: argumento text. *in regula, quod quis. ff. de Reg. juris, & in regul. damnum quod quis de reg. juris, lib. 6. si verò*

non ædificavit, imò distulit timore nuntiationis, & postea apparet quod nuntiator non habuit causam nuntiandi, & pronuntiat iudex quod potest ædificare; tunc benè potest recuperare damna à nuntiante per actionem de dolo; argumento text. *in leg. Rem quamdam. ff. de Dolo, ibi Bartol. in leg. 1. fin. column. n. 26. ff. de Novi oper. nunc. post Jacob. de Aretin. & ante ipsum tenet ibi Rainer. penult. column. quest. 3. princip. num. 20. & ibi Vincent. fin. column. dicens, quod cum Bartol. transeunt communiter DD. tenet etiam Anchar. in cap. 1. extra eodem titul. de Novi oper. nunc. num. 8. Sed hoc ego crederem, quando dolus, malitia, vel ejus conjectura potest probari; quia sciens se non habere jus denuntiandi denuntiavit: secus tamen aliàs, hoc non probato; quia in dubio potius juris sui tuendi causa fecisse, quam ex dolo vel malitia credendum est: argumento, & in expresso hoc voluit solus Rain. *in dict. leg. 1. penult. column. infra eod.**

36 Advertendum tamen, quod valdè utile & necessarium est videre: an sit aliquod remedium in jure, ut stante illa nova dispositione text. *in dict. leg. unic. Cod. de Novi oper. nunc. & dict. cap. fin. extra eod. & l. partit.* possit ille cui facta est nuntiatio ædificare statim, non elapso tempore trium mensium? de quo semper vidi dubitari in nostro regno. Et dico, quod aliqua sunt remedia, quæ mihi videntur satis notabilia: Primum est, quod si nuntiator non offert se probare aliquam causam, vel jus, quo fundet intentionem & denunciationem suam; tunc statim potest adversarius cui facta est denuntiatio, ædificare, præstita satisfactione: ita expressè Salycet. *in dict. leg. unic. Cod. de Novi oper. nunc. 2. column. 2. oppos. & est de mente omnium in dict. leg. Prator ait. §. Si quis paratus, & probat Gloss. ordinaria in leg. 1. §. Nunc videamus eod. titul. & in §. penult. ejusdem leg. & Jas. in leg. 1. eodem titul. 1. column.* Quod non credo verum per supra dicta, & infra dicenda; quibus probatur, & dixi, quod in denunciatione non requiritur causa.

Secundum est, quando clarè constat, & certum & notorium est, quod ille qui nuntiavit non habet jus nuntiandi: quia tunc statim ille cui est facta nuntiatio, poterit ædificare, etiam nulla præstita satisfactione: argumento text. notabilis *in leg. 1. versic. Offilius, & in leg. 2. Cod. Ne quis eum qui in jus voc. est vi exim.* ubi dicitur, quod licet eximens citatum per vim teneatur poena illius tituli, tamen debet intelligi quando citatio valuit; secus verò si fuit nulla, vel ex persona citantis, vel ex persona citati, sive ex alia legitima causa: & ibi notat Glos. Bartol.

& DD. & per illum textum & istam conclusionem tenet originaliter Rosfred. *in Libellis suis, in Rubr. de Interdict. de novi oper. nunc. penult. column. num. 15. & idem tenet Bart. reputans esse notabile in leg. 1. ff. de Novi oper. nunc. 2. column. num. 6.* Joan. de Imol. *ibi, 1. column. in fin. Cuman. 2. column. in med. idem etiam tenet Paul. de Caltr. & Cuman. in eadem leg. 1. §. Nunc videamus, Jas. ibi, 4. column. versicul. Nota diligenter,* ubi aliquibus mediis istam conclusionem confirmat, & dicit hanc esse communem opinionem: Vincent. *5. column. num. 12.* qui bene loquitur: tenet etiam Jas. *in leg. Non solum. §. Morre, eodem titul. 2. column. num. 3.* istam etiam conclusionem tenet Abb. Panor. *in cap. 1. fin. column. num. 10. extra de novi oper. nunc.* ubi dicit, hoc esse singulare & menti tenendum: Anchar. *ibi, 1. column. 5. not.* istam etiam conclusionem tenet Bartol. *in Consilio suis, consilio 64. incipienti super puncto.* Pro qua communi doctrina & conclusione facit text. *in leg. 1. §. Nuntiatio, el 2. versic. Quod si quis in mari. ff. de Novi oper. nuntiation. text. in leg. Qui viam, versicul. Nihil agit, eodem titul. text. in leg. Hac stipulatio. §. Divus. ff. Ut legat. nom. cav. cum simul.* ubi habetur, quod causa vel satisfactio aliàs à jure requisita, non debet interponi super actu vel causa nulla, quæ non potest sortiri effectum.

37 Et si quæras, qualiter constabit denuntiantem non habere aliquod jus nuntiandi? Dico, quod multipliciter: Primò modo, ex defectu personæ nuntiantis; ut quia est talis qui nuntiare non potest, ut *in leg. 1. §. fin. eodem titul. in leg. de Pupillo, versic. Servo eodem titul. ibi: Nec nuntiatio ullum effectum habet.* Secundò, si hoc possit iudici apparere ex evidentia facti; ut quia is qui nuntiat nihil penitus ibi habet propè vel juxta ædificium, cui præjudicium fieri possit: argumento text. *in leg. Non solum in princ. eodem titul. & in leg. 1. Cod. de Edific. privat. & in leg. fin. ff. Finium regundor.* Tertio si appareat nuntiantem non habere jus virtute alicujus publici instrumenti confecti inter partes, vel alicujus sententiæ inter eos latae, non efficitur res notoria. Quarto, quando nuntians inserit in nuntiatione causam in justam, per quam apparet non competere sibi aliquod jus nuntiandi: argumento text. juncta Gloss. *in leg. 1. §. penult. eodem titul. & in §. Videamus, & in §. Nuntiatio, el 2. versic. Quod si quis jure maris ejusdem leg. & in leg. 1. & 2. ff. Ne quis eum qui in jus vocat. est vi exim.* & in expresso istam doctrinam declarat & ponit magistraliter Bartol. *in leg. 1. column. 2. quest. 1. num. 8. eod. tit. Imol. ibi, 1. column. in fin. Jas. 5. column. in*

Anton. Gomez, ad Legem Taur.

fin. num. 10. Sed illud de instrumento debet intelligi; quando est confectum à parte contraria, & nihil objicit contra ipsum; aliàs, antequam sit de ejus viribus discussum non facit rem notoriam, secundum Imol. *ibi, 1. column. in fin. argumento leg. fin. Cod. de Fid. instrum.* sed Jas. *ibi, 6. column.* Tenet cum Bartol. quando instrumentum est publicum; quia facit rem notoriam, per bona fundamenta.

Tertium remedium principale est, quod ædificans petat ut nuntiator declaret causam suæ denunciationis, & juris sibi competentis: nam cogitur dicere & declarare, sicut actor cogitur exprimere causam in libello, si petatur à parte, ut *in leg. fin. Cod. de Annal. excep. & testis cogitur reddere causam & rationem dicti sui, quando de ea est interrogatus, ut in leg. Solam, & ibi communis opinio, Cod. de Testibus, ita expressè tenet Glos. notabilis & ordinaria in leg. 1. ff. de Novi oper. nunc. in verb. Pronunciationem, & ibi Bartol. 3. column. 2. quest. princip. & post eum cæteri DD. tenet etiam notabiliter Paul. *in §. Nunc videamus, ejusdem leg. tenet etiam Spec. in titul. de Procuratore. §. Sequitur, versic. Sed numquid sufficit. Holtiens. in Summ. extra, de novi oper. nunc. §. Qualiter fiat, versic. Requiritur.* Quod tamen debet intelligi isto modo: quod si nuntiatio fit autoritate iudicis, causa debet peti declarari coram iudice: si verò nuntiatio fit solo verbo, vel per jactum lapilli; tunc causa debet à parte vel ab Officialibus peti in ipso opere, & in ipso actu nuntiationis: postea verò non posset; quia post nuntiationem factam est quæsitum jus nuntiandi; unde postea non tenetur exprimere causam; nisi ædificans compareat coram iudice, & ibi petat causam exprimi à denuntiante; quia tunc ad instantiam & præceptum iudicis cogitur exprimere, argumento text. *in leg. de Pupillo. §. Qui opus, eodem titul.* ita Bartol. notabiliter *in leg. 1. 3. column. 2. & 4. & 5. quest.* Ex quo inferitur, quod quando pater fecit aliquam donationem filio, quæ de sui natura non debet conferri nisi expressè dicatur, quod debet dici tempore donationis. Item adde, quod tali casu, quando ædificans petit causam sibi declarari, cogitur denuntiator illam exprimere in specie, nec sufficit dicere in genere, quod nuntiat causa juris sui conservandæ: quia tenetur taliter exprimere, ut ædificans reddatur certus, an debeat cedere vel contendere? argumento text. & quæ ibi notant *in leg. 1. ff. de Edendo, & in leg. Edit. actio. Cod. eodem tit. & in specie ita tenet Bartol. in dict. leg. 1. 3. column. 6. quest. Paul. in §. Nunc videamus, ejusdem leg. ergo si nuntiator nullam exprimat causam, vel non exprimat justam, poterit ille**

Z z 2

cui